

Nos Ferdinandus tertius, Dei gratia electus Romanorum imperator, semper Augustus ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniaeque etc. rex, archidux Austriae, dux Burgundiae, Brabantiae, Styriae, Carinthiae, Carniolae, marchio Moraviae, comes Tyrolis et Goritiae etc. memoriae commendamus tenore praesentium significantes, quibus expedit universis, quod nos cum ad humillimam supplicationem, demissamque instantiam fidelium nostrorum, circumsectorum iudicis, iuratorum ceterorumque civium et inhabitatorum civitatis nostrae montanae Swedler, in comitatu Scepusiensi existentis, tum vero pro utilitate et commodo dicti regni nostri Hungariae sed et incolarum atque inhabitatorum eiusdem civitatis Swedler, illud gratiose annuendum et concedendum duximus, ut videlicet nundinae liberae seu fora annualia semel in anno, in festo Sanctae Margarethae, hoc est die decima tertia mensis Iulii, ipsumque Festum praecedentibus et immediate subsequentibus, ad id necessariis aptis et sufficientibus diebus omni anno. Forum praeterea hebdomale singulis diebus Lunae, omnino sub iisdem libertatibus et praerogativis, quibus nundinae liberae seu fora annualia ac etiam hebdomadalia libera liberarum civitatum nostrarum oppidorum aut villarum celebrantur in praescripta civitate Swedler perpetuo celebrari possint ac valeant, immo concedimus et annuimus praesentium per vigorem, absque tamen praeiudicio nundinarum seu fororum annualium ac hebdomadaliu liberorum aliorum quorumcumque locorum circum vicinorum. Quocirca vos omnes et singulos, mercatores et institores ac forenses homines ac viatores quoslibet harum serie assecuramus, affidamus et certificamus, quatenus ad praedictas nundinas seu fora annualia ac etiam hebdomadalia libera, per nos in civitate Swedler modo premissa perpetuo celebratas commissa et concessa, cum omnibus mercantiis rebusque et bonis vestris libere, secure et absque pavore seu formidine, personarum rerumque et mercantiarum vestrarum, veniatis, properetis et accedatis, peractisque ibi negotiationibus vestris omnibus iterum ad propria, aut que malueritis loca redeatis, salvis semper personis atque rebus vestris sub nostra protectione et tutela speciali

